

Q. D. B. V.

2

SAL SCHOLASTICUS

EX MARC. IX, 50. DELINEATUS,

CUM AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

ÆSTIVA

D. VII. SEPT. A. MDCCLXVII. HORIS A IX. MATUT.

CELEBRANDA

INCLUTI

REIPUBLICÆ

PROCERES,

CÆTERIQUE

MUSARUM FAUTORES,

OMNI *QUA* DECET OBSERVANTIA

dubl. da 521 COLENDISSIMI,

DEBITE ET PERAMANTER

INVITARENTUR

à

JOANNE LANGIO,

RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGÆ.

STANNO SAMUELIS GOTTLIEB PREUSSIL

211 100 100 100

THE UNIVERSITY

OF CALIFORNIA

MUSEUM OF NATURAL HISTORY

DEPARTMENT OF GEOLOGY

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

JOHN B. LAMOND

PL 8.11.4684

PL 8.11.4684

Gravissimam omnino & doctrinæ morumque plenam Salvatoris esse commendationem: *habete in vobis saltem*, a) quilibet ambabus, ut ajunt, concedet manibus. Non vero ad conscriptos saltem Collegii Apostolici Patres hæc illaque apud Matthæum b) Christi spectant verba: *Vos estis sal terra*, sed ad omnes insimul in castris fidei christianæ, imo etiam bonarum artium Palæstris militantes, qui felicitatis & suæ & aliorum promotores, salii ut sapiant, luci ut luceant, urbi supra montem positæ, ut omnibus pateant, similes sunt, justa adplicatione referri possunt. c)

De sale interim non fixo mihi & volatili, quod Medicorum est, d) nec theologico, quod b. Masius in ex-

A 2

erci-

a) Marc. IX, 50.

b) c. V, 13.

c) Id quod Grotius defendit, dum: nihil satis, inquit, causæ video, cur hæc ad Apostolos restringantur. Nam & μακαρισμοὶ (beatitudinis prædicationes) communes sunt omnibus & allocutio, quæ præcessit, omnes spectat, qui pro veritate injurias sustinent. vid. *Critic. Sacr. Tom. VI. ad Matth. V, 13. col. 176.*

d) Vid. *Unzeri Physiologia salis. c. XXIII. & Wedelius in exercit. Medico-Philol.*

ercitatione quadam e) præstitit, sed scholastico præprijis verba facienti mirum videtur, cur Salvator præstantiam suorum indicaturus illis commendet salem, qui in sacris ut & profanis sterilitatis & maledictionis symbolum involvit. Abimelechum enim destructam & solo adæquatam civitatem Sichemiticam sale consevisse legimus, f) ut agris ad fruges in posterum proferendas nunquam aptis induceret sterilitatem. Idem accidisse constat Mediolano ab Imperatore Friderico Barbarossa A. C. 1162 occupato, cujus aream omnemque regionem facta præda sale conspergi jussit, quo hac sterilitatis nota signata, perpetuæ vastitatis & damnationis ignominia relinqueretur. g) Hinc non modo Prophetis V. T. sterilis regio & deserta eadem est ac in falsuginem conversa, h) sed ipse Vates salem sterilitatis accusans: falsa, inquit i) tellus

frugibus infelix ea nec mansvescit arando,
nec Baccho genus aut pomis sua nomina servat.

Inde

e) de *sale theologico*. Hafn. 1694. add. *Wolfii curæ philol. & critica ad Matth. V, 13.*

f) Jud. IX, 45.

g) vid. *neuvermehrtes histor. und geogr. allgemeines Lexicon*, P. II. p. 368.

h) Ezech. XLVII, 11. Zephan. II, 9. Jerem. XVII, 6. Pf. CVII, 34.

i) *Virg. L. II. Georg. v. 238.*

Inde quam facile intelligi potest, cur mare salsum mortuum æque ac sterile appellarunt majores, ob nimiam salis copiam nihil novi in eo vel generari vel subsistere posse, licet si ex erronea opinione, k) judicantes.

Non itaque salem vulgarem, cibus condendis conservandisque utilem, sed alium agris fructificandis idoneum mundi Redemptorem h. l. intelligere, credere fas est. Placuit inde Clerico l) per cineres collectos ex combusto ligno vel zizaniis foliisque igne consumtis, & Cel. Deylingio m) per marga aliquod, terræ foecundandæ admodum accommodatum, interpretari salem.

Quemadmodum vero corporibus physicis nihil prius, nihilque posterius convenire judicarunt majores, *sole & sale, n)* ita nec ludorum scholasticorum florem nec conservationem absque solis salisque præsentia diu consistere posse, haud inique contendimus. Sole enim i. e. Christo, qui sol justitiæ, o) lux, p) fons ac scaturigo omnis sapientiæ & cognitionis q) dicitur, non audito-

A 3

ria

k) vid. die allgemeine Welt historie. P. II. §. 584. pag. 537. not. * * * *

l) in notis ad Hammondiana. ad Luc. XIV, 34.

m) in observ. sacr. P. I. Obs. XLI. p. 181.

n) conf. Plin. Nat. Hist. L. XXXI. c. XI.

o) Mal. IV, 2.

p) Luc. I, 78. 79. Jo. I, 4. 5. 9.

q) Col. II, 3.

ria saltem sed scholasticorum infimul pectora radiis suis collustrante ac illuminante, quæ inde scholarum facies, quæ conditio? Piæ hinc antiquitati haud abs re visum fuit, januæ auditorii minoris Gymnasii patrii r) hæc adscribere verba: *Jesus ging in die Schule und lehrete, solis instar orientis, scholasticorum oculos animosque collustraturi.*

Sed salis quoque habenda est ratio; *salis sc. doctrinæ* tam humanæ quam divinæ, quæ cœlitus tradita non modo seminis incorruptibilis naturam induit, s) fructus Spiritus quotidie novos proferentis, t) sed cujus tanta est vis, tanta efficacia, ut calore & acrimonia, gladii ancipitis instar, humanas mentes penetret, adstringat, cogat, u) Apostolos hinc & Prædicatores evangelicos, homines ab idololatræ cultu & a tenebris ignorantie rerum divinarum verbo cœlesti revocantes, salem terræ vocat Salvator, w)

Doctrinam vero nihil magis decet, quam si illam inter & sapientiam arctissimum intercedit vinculum, Arguunt itaq; *sapientiæ salem* doctrinæ cœlestis & necessitas & gravitas. Divus ille gentium Apostolus Colossenses,

r) ex Luc. VI, 6.

s) I. Pet. I, 23.

t) Gal. V, 22.

u) vid. *Dieter. Antiqu. N. T.* p. 83. ad voc. ἅλας.

w) conf. *Casalius de veteribus sacris Christianorum ritibus.* cap. XXXVI. p. 205.

ses, ut eorum oratio gratia semper prædita saleque condita sit, serio adhortans, x) sapientiæ omnino rationem habuisse creditur. Cui pollicem premit Terentius, y) sapientem & urbanitatis decore ornatum hominem vocans, qui salem habet; cuius vero contrarium Catullus, insulsum sc. delineaturus, ita canit: z)

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Patet inde formulæ vulgaris: hoc cum grano salis accipiendum est, significatio. Ad declarandam itaque cœlestem sapientiam & liberationem à peccatorum sordibus, per lumen gratiæ impetrandam, in Ecclesia primæva baptizandis salem a Sacerdote benedictum datum fuisse, auctor est Quenstedius. a) Et quem fugit mos ille in Academiis receptus, eis qui albo sua tradunt nomina, salem commendandi sapientiæ, ad quem forsan eruditissimus Huetius, Delphini Galliæ quondam Præceptor, in carmine suo: de sale, b) cogitationes suas direxisse videtur, inter alia ita canens:

Signatur salibus princeps sapientia puris.

Amicitiam porro, quæ a primis incunabulis subsellisque scholasticis petitur, constantem esse, maximamque

x) c. IV, 6.

y) in *Eunuch. Act. III. sc. I. v. 10.*

z) *Epigr. LXXXVII. in Quintiam & Lesbiam.*

a) in *antiqu. bibl. & eccles. sect. II. n. 2. §. 9. p. 335.*

b) quod legitur in *Gernevi Chrestomathia Pliniana. p. 792. &c.*

que sapius in senectute afferre utilitatem, prudentiores jam diu cognoverunt. Juvat itaque *sali* illud encomii concedere, quod constantis *amicitiæ* *symbolum*, vinculo suo unitos ab omni oblivione atque detrimento revocet. DEVS ipse non modo in constantem amoris sui in Judæos tesseram æternum & perpetuo duraturum cum illis iniit fœdus, quod a sale (*Salz-Bund*) vocabatur, *c*) sed alias inter hanc quoque ob causam sacrificia sale condiri voluit, *d*) ut *amicitiæ* suæ constantis, per Messiam renovandæ, illos certiores redderet. Sicut solem & salem e mundo tollit, qui *amicitiam*, salem vitæ humanæ, tollit, *e*) ita nemini potius quam scholasticis & nunquam magis adhibendi sunt urbani sales, quorum Cicero, disertissimus Romanæ eloquentiæ Princeps, mentionem facit, *f*) quam *amicos* inter scholares. Sine sale itaque nec Plinio *judice* *g*) humana, nec teste experientia scholastica

c) Num. XIIIX, 19. coll. 2. Paral. XIII, 5. add. *Clerici diff. de statua salina*. it. *die allgemeine Welt historie*. P. II. §. 4. p. 4. n. *

d) Lev. II, 13. conf. *Buddei H. E. V. T. Tomi prioris* Per. II. Sect. I. §. XXXII. p. m. 726. Gentiles quoque omni sacro salem adhibuisse, legimus in *Alex. ab Alexandro genialium dierum* Libro III. c. XII. p. 140. b.

e) *Cic. in Latio*.

f) *Lib. IX. ad Fam. ep. 15.*

g) *Lib. XXXI. c. 7.*

lastica degi potest vita. Nullam quidem Dominum inter & servum amicitiam esse, Curtius affirmat, *b)* ast doctorem inter & auditorem scholasticum intercedat necesse est arctissima, constantissima, saleque condita.

Nec prætereundum esse judico *disciplinæ sale*. Qui quantam neglectus noxam vel adhibitus adferat utilitatem, facilis est conjectura. Nam quæ salis est natura, ut vulneribus admotus ob acrimoniam suam putredinem arceat, eadem quoque disciplinæ & castigationis est conditio, qua æquilibrium delicta inter ac pœnas, ut & discrimine propensionum affectuumque habitis, admonente vate Peligno: *i)*

cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Legum enim contentus, ut Herodoti utar verbis, *k)* certissimum est indicium, hominem furiarum tædis ardentibus de sanitate mentis suæ deturbatum esse. Prævis itaque affectibus indulgentes & præjudiciis, vanitatibus, stolidæ philautiæ, imo turpissimo inobedienciæ vitio dediti, ægrotantibus similes medela & medicina opus habent, in salis scholastici, quem lex & disciplina jubent, applicatione quærenda. Nec est cur ex adhibito salis censorii temperamento scholæ detrimentum & desola-

B

tio-

b) in orat. Scythar. ad Alex. M. L. VII. c. 8. §. 28.

i) in Metam. L. I. fab. 8.

k) Lib. III. Histor.

tionem metuas. Quo magis enim legibus suis constat honos & observantia, eo majores sibi in dies promittere potest fructus vita scholastica. Id quod non modo b. Langius, magnum illud in Fridericiana olim sidus, qui rebus scholasticis multos interfuit annos, fatetur, l) sed Cel. etiam Gesnerus in progr. m) occasione regiminis academici apud Gœttingenses nuperrime permutati, typis expresso docere voluit.

Optandum sane, ut qui in Minervæ castris desudantes, omnem in acquirendis scientiis artibusque consumunt ætatem, agnita salis scholastici utilitate, illud *μωραίνεσθαι*, infatuari aut fatuum vel insipidum fieri, nunquam affectarent. Quodsi enim studiosa juvenus, quæ in spem Patriæ efflorescens, omnium in semet conjicit oculos, sal est infatuatus corruptusque, quo salietur? Ea vero, proh dolor! progeniei vitiosioris n) indoles est, ut licentiæ vitiisque fascinata veluti, legibus obtemperare idem fere ac servitutis esse mancipium judicet & sub libertatis antiquæ titulo in effrenata omnis generis devia proruat. Tantæ perversitati, tamque tristissimæ

l) in §. 8. præf. lectu dignissimæ ad *Gramm. Lat.* quæ agit von Verbesserung des Schul-Wesens. p. 9. edit. XXVI.

m) von den Vortheilen einer genauen Beobachtung Mannszucht und Geseze. vid. die Göttingische Zeitungen von gelehrten Sachen. de Ao. 1747. 54. St. P. 441.

n) *Hor. Lib. III. Carm. Od. VI. v. 48.*

stissimæ juventutis conditioni quis resistere potest? Sallis sane scholastici ea vis non est, ut ex voto semper juvenilis succedat emendatio, nisi ad illum sal domesticus, i. e. ad institutionem scholasticam domestica infimul accedat educatio. o)

Interim ne ex culpa nostra saluberrima illa vitæ probatæ, morumque laudandorum salina lateat, neque ullus tam docentium quam discipulorum actiones suas fucio & specie quadam commendare possit, officii nostri anniversaria crastini, DEO volente! diei solemnitas, qua Athenæi leges e cathedra publice moreque laudabiliter recepto recitabuntur, nos admonebit.

Cum autem flectendis & emendandis scholasticorum animis magnum omnino incitamentum fore confidimus honorificam splendidamque PROCERUM præsentiam, hinc ILLUSTREM, MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS, CONSULTISSIMOSQUE DNN. BURGGRABIAM REGIAM, PRÆSIDEM, PRÆCONSULES atque CONSULES, PATRONOS & NUTRITORES Gymnasii hujus longe meritissimos colen-

o) Commendo hac occasione nunquam satis commendandum b. DN. Seyleri, quem musa vetat mori, *progr. de sororio domestica educationis cum institutione scholastica vinculo*, Ao. 1735. editum; illudque de Ao. 1743. von der unumgänglichen Nothwendigkeit einer höchst genauen Verbindung der häuslichen Kinder-Zucht mit der Schul-Unterweisung, quod & *Act. Schol. Tom. III. P. IV. p. 307.* insertum legitur.

colendissimosque; nec non EXCELLENTISSIMOS, PLURIMUM REVERENDOS, PRÆNOBILES, NOBILES, SPECTABILES, PRÆSTANTISSIMOS, HUMANISSIMOSQUE, FAUTORES & AMICOS honoratissimos, omni qua par est reverentia & humanitate enixe rogamus, ut legum observantiam vel auctoritate vel benevolentia sua commendatiorem reddere & studia nostra, laboresque gymnasticos favore suo in Musas tenerrimo accendere dignentur.

Qua quidem occasione operam omnino dabit VIR CLARISSIMUS DOCTISSIMUSque DN. JOANN. DAN. HOFFMANN, fidelissimus Gymn. CONR. & PR. PUBL. idemque COLLEGA noster longe amantissimus, ut anniversariis æstivæ hujus festivitatis solemnibus facturis satis, collectam fere ex sale scholastico nauseam, eleganter ornatæque conscriptis, de *æquilibrio Europæ* orationibus à juventute, in spem Patriæ ac Suorum late succrescenti, perorandis interpolare possit.

Quod superest, nihil magis in votis habemus, nihil in desideriiis, quam ut schola Drusica, cui quæ de sale diximus, scripta sunt, sole & sale careat nunquam. P. P. Elbingæ, d. VI. Sept. A. O. R. MDCCXLVII.

